RELIGIÖSE SAMMELHANDSCHRIFT

Salzburg, 1457 Seite 104r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8282
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

carnis a cuius conspectu fugit celum
et terra ad cuius nutum omnia subici-
untur elementa te adoret te glorifi-
cet omnis creatura tua et ego filius
ancille tue per fidem tuam flecto
genua cordis mei sub pedibus
maiestatis tue gracias agens qui
illuminare me dignatus es per tuam
misericordiam lumine tuo lumen factus
sum admirabile et amabile lumen
delectabile lumen spectabile qui
illuminas oculos angelorum Ecce video
gracias ago Ecce video lumen
celi Intuetur oculos mentis mee
radius desuper a facie lucis tui et
letificat omnia ossa mea Si per-
ficeret in me Auge queso lucis
auctor auge ipsum quod infulsisti me
Dilatare obsecro dilatet ergo te
Quid est hoc quod sencio Ecce ignis
est ignis qui calefacit cor meum
Que est lux que irradiat cor meum
O ignis qui semper ardes et non
extinguere accende me O lux
que semper luces et non extingue-
ris illumina me O ut arderem
ex te ignis sancte quam dulciter
ardes quam secrete luces qui desi-
derant adhuc Ve hiis qui non ardent
ex te Ve hiis qui non illuminantur
ex te O lumen vidicum illuminans
omnem mundum cuius lux implet mundum
Ve cecis oculis qui te non vident
Sol illuminans celum et terram Ve
caliginantibus oculis qui videre non possunt
Ve avertentibus oculos ne videant
veritatem Nesciunt ei oculi tenebre

assueti summe veritatis radios intue-
ri Nesciunt de luce aliquid estimare
quorum est in tenebris habitatio Tene-
bras vident tenebras diligunt
tenebras approbant de tenebris
euntes in tenebras nesciunt ubi
corruant Miseri qui nesciunt quid
amittant et miseriores utique qui
sciunt quid amittant qui cadunt
apertis oculis et descendunt in infernum
viventes O lux beatissima que non
nisi a purgatissimis oculis videri potes
Beati mundo corde quoniam ipsi te vi-
debunt Mundatum mundas intus
munda oculos meos ut sanis te
contempler oculis que non nisi sanis oculis
potes intueri Aufer squamas
caliginis antique radiis illuminationis
tue splendor inaccessibilis ut te
videre valeam irreverberatis obtutibus
et in lumine tuo videam lumen Gracias
tibi lux mea ecce video Dilatare
obsecro visus meus ergo te domine
Revela oculos meos ut consi-
derem mirabilia de lege tua qui
es mirabilis in sanctis tuis Gracias tibi
lumen meum ecce video video sed
per speculum et in enigmate sed quando
facie ad faciem Quando veniet dies
leticie et exultacionis in qua in-
grediar in locum tabernaculi admi-
rabilis usque ad domum dei ut vi-
deam videntem me facie ad faciem
et satietur desiderium meum

Desiderium anime in deum

Quemadmodum desiderat
cervus ad fontes aquarum
ita desiderat anima mea ad